

versi a Deo intentus, quis? se beatissimus (§. 19.). Non igitur per creationem hujus Universi potuit intendere majorem sui perfectionem, &, quoniam omnia cognoscit ex se ipso & ab æterno (§. 4. 5. 2.), hinc & suas perfectiones intime novit. Non potuit etiam hoc Universum creasse, ut ipse suas perfectiones exinde demum cognoscat. Nihil itaque remanet, quam ut finis, quem intendit, sit manifestatio suæ gloriæ, nisi alias dicere Velis, Deum frustra hoc Universum creasse, quod impium est & absurdum.

§. 21.

Manifestatio gloria quid?

Gloriam suam manifestare dicitur Deus, quatenus suas perfectiones summas creaturis rationalibus notas facit.

Unusquisque sua sponte intelligit, nullam manifestationem locum invenire posse, nisi ad sint creaturæ rationales, quibus illæ manifestantur; in bruta enim non cadit manifestatio.

§. 22.

Deus gaudet Sapiencia summa & infinita.

Deus gaudet Sapiencia, & quidem summa, & infinita.

Creavit enim hoc Universum ad gloriæ suæ manifestationem (§. 20.). Novit vero omnia possibile distincte (4. 5.). Ergo cognoscit etiam, hoc universum esse medium fini convenientissimum, novit etiam omnia media in hoc Universo ita subordinare, ut tendant certissime ad finem (id quod omne ex ejus Intellectu infinite perfecto fluit). Gaudet itaque Deus scientia eligendi media fini convenientissima. Ergo (vi def. sapientiæ) gaudet Sapiencia. Patet vero, Dei Sapienciam fluere ex Intellectu ejus per-

per-